MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80275-8

AUTHOR:

KLIMT, ARTHUR

TITLE:

DE ARTIS AMANDI OVIDIANAE...

PLACE:

WEIDAE THUR.

DATE:

1913

Master Negative #

91-80275-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Klimt, Arthur: De Artis amandi Ovidianae libri primi compositione. Weidae Thur. 1913: Thomas & Hubert. 44 S. 8°
Leipzig, Phil. Diss. v. 17. Febr. 1913, Ref. Heinze, Lipsius
[Geb. 14. Aug. 79 Kiesdorf; Wohnort: Leipzig; Staatsangeh.: Sachsen; Vorbildung: G. Zittau Reife 00; Studium: Leipzig 18 S.; Rig. 26. Nov. 12.]
[U 13. 4085

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



DE

ARTIS AMANDI OVIDIANAE LIBRI PRIMI COMPOSITIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ARTHUR KLIMT

WEIDAE THURINGORUM
TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT
MCMXIII

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

R. Heinze et I. H. Lipsius.

Lipsiae, d. 26. m. novemb. a. 1912.

Le Blanc, procancellarius.

MANIBUS M. HEINZEI LIPSIENSIS SACRUM

Aureum carmen est Ovidi Ars amatoria et quod urbanitate sua et facetiis et petulantia mirum quantum delectationis legentibus praebet. Quos libellos ut multi viri docti omnino praestantissimum poetae opus aestimarunt, ita alii propter ipsius dispositionis artem laudibus extulerunt. At Tolkiehnius huius carminis compositionem primus satis mendosam increpans duabus commentationibus[1]) evincere studuit contra lucide prolatam dispositionem in compluribus operis partibus ordinem rerum prooemio libelli institutum non servari sententiasque plane diversas adiungi. Quae vitia Bürgero[2]) probavit, qui, ut fieri assolet, etiam plura detexit, neque defuerunt, quibus hic ea persuaderet, dico Helmium.[3]) Haec autem controversia diiudicari non potest nisi totum sententiarum conexum subtiliter indagando, itaque in animo est curiose excutere, quaenam

[1]) I. Tolkiehn, De primo artis amatoriae ovidianae libro. Festschrift für L. Friedländer, 1895, pp. 433sqq.

Idem, Ovids Liebeskunst, N. Jahrbb. f. d. klass. Altert. 11 (1903), pp. 326sqq.

[2]) R. Bürger, De Ovidi carminum amatoriorum inventione et arte Diss. inaug. Guelferbyti 1901, pp. 46sqq.

[3]) R. Helm in Bürgeri dissertationis censura, Berl. phil. Wochenschr. 22 (1902), pp. 1353sq.

in singulis capitulis primi saltem libri poeta persecutus sit et qua ratione atque consilio unum capitulum alteri continuaverit.

Vv. 1—34. Ac primum quidem prooemium facit poeta et initio propositionem dat, qua artem amandi si quis nesciat se docere velle profitetur (vv. 1, 2). Quam doctrinam necessitate quadam requiri adicit, quoniam Amor non minus quam rates et currus arte regendus sit (vv. 3, 4). Huic autem Amori ab ipsa Venere sese praeceptorem praefectum esse gloriatur (vv. 5—8). Quamquam non effugit poetam muneris difficultas, cum illius pueri feritatem oculis proponit. Sed Chironis exemplo, qui et ipse saevum puerum, scilicet Achillem docendum habuerit, se consolatur confiditque, ut tauri et nobiles equi iugo frenoque domentur, ita Amorem quoque sibi cessurum esse, id est, opus prospere sibi esse eventurum (vv. 9—24). Iam poeta elatus carmen ab ullis numinibus negat sibi inspiratum esse, immo solo usu opus suum moveri affirmat et more usitato numen divinum, nimirum Venerem rogat, ut proposito adsit (vv. 25—30). Statim carminis naturam patefacit: nihil nisi lascivum amorem ait se docturum esse eaque concessa tantum furta; propterea nobiles atque pudicas feminas monet, ut recedant (vv. 31—34).

Vv. 35—40. Quoniam legentes cognoverunt, quaenam sibi exspectanda sint, ad partitionem poeta accedit, qua in tres partes materiam se distributurum esse pronuntiat. Prima enim ostendere animus est, ubinam puella

reperiri possit,[1]) altera, quibus artibus illa exoranda sit, tertia, qua ratione amor quam plurimum temporis sit mansurus.[2]) Nam hoc statim addendum est non de eis puellis poetam cogitare, quae ad Veneris gaudia praebenda ilico paratae sunt quasque qui semel tetigerunt relinquunt, quippe quarum causa arte amatoria opus non sit, sed eas puellas ante oculos habet, quae tamquam expugnari debent et quas qui ceperunt tenere cupiunt.

Vv. 41—66. Iam primam partem ab ea re orditur poeta, ut transitione illius necessitatem probet. Nam quandoquidem non de caelo delabantur puellae, sed oculis quaerendae sint, hanc quaestionem venationem fingens persequitur opus esse iuvenibus quasi venatoribus novisse, quibus locis puellae frequentes versentur (vv. 41—50). Non ita longe eas abesse nuntiat, immo Romae ipsius tantum earum numerum tamque varium genus suppeditare, ut, quam eligat, iuvenis nesciat[3]) (vv. 51—66).

[1]) Zielinski, Philol. 64 (1905), p. 16 ingeniose monuit poetam compositione huius carminis per iocum compositiones artium oratoriarum (ῥητορικῶν τεχνῶν) imitatum esse. Propterea cum carmen facete Artem amatoriam nominavit, tum secundum artes oratorias, quarum prima parte de inventione (εὑρέσει) et locis (τόποις) agebatur, illius quoque prima parte docuit, quibus locis puellae inveniri possent.

[2]) Primam partem manifestum est libri primi versibus 41—262 contineri, alteram eiusdem libri versibus 263—770, tertiam libro secundo. Tertius autem liber postea demum conscriptus est.

[3]) Ad versum 64 Brandtius Blümneri translationem adnotat: „Sie zwingen dich, gar nicht mehr dran zu denken, daß überhaupt

Vv. 67—88. Nunc in eo est, ut poeta aperiat, quibus locis puellae reperiri possint. Ac primum porticus commendat ut iuvenes intrent nominatque ex eorum numero porticus Pompei, Octaviae, Liviae, templi Apollinis (vv. 67—74), deinde sollemnibus quibusdam interesse iubet, e quibus festum diem Adonidis et sabbatum Iudaeorum affert (vv. 75, 76), tum templa suadet ut visantur, inter quae Isidis templum commemorat (vv. 77, 78), denique fora docet apta esse et quidem forum Romanum[1]) et Iulium designat, quo facto hoc capitulum lepida pictura iuris consulti ab Amore capti terminatur (vv. 79—88).

Vv. 89—134. Etiam magis theatra poeta affirmat ad venationem idonea esse, in quae cuiusque generis feminae tamquam formicarum vel apium agmina ruant. Curnam autem haec loca puellis tam insidiosa sint, per iocum a raptu Sabinarum scilicet in theatro effecto (vv. 101—130) deducit, quae fabula aetiologica maximam huius capituli partem amplectitur.

Verlangen du getragen", id quod neque Brandtium neque translatorem ipsum puto scire, quid sibi velit. Nos secuti sumus R. Cahenum, qui in Brandti editionis censura, Bulletin critique 22 (1903), p. 414, hunc versum ita interpretatur: „tu ne sais laquelle choisir", quam interpretationem nobis videmur fulcire posse versu 90, ubi „voto tuo" pro ablativo comparationis habemus, et versu 98.

[1]) Neque enim versu 80 „argutum" cum Brandtio voce „lärmend" interpretamur, sed ad orationes in foro habitas referimus. Quibus cum forum Romanum potissimum adhibitum sit, hoc forum illo „arguto foro" significari censemus.

Vv. 135—162. Sed ne circum quidem poeta suadet ut iuvenes praetermittant, quippe qui commoda praebeat, quae theatra non praebeant. Neque enim separatim, sed promiscue viri et feminae in eo sedent. Itaque, cum in theatro iuvenis respiciens si quam conspexit pulchram puellam notis tantum et digitis ad se convertere cogatur, in circo, quoniam proximus a placita puella, si quam attendit neque sedes iuxta eam occupata est, assidere potest, sermocinari licet. Et facile sermo potest institui, cum iuvenis exempli gratia e puella quaerit, cuius equi cursuri sint. Nimirum eidem cui puella agitatori favebit et, cum pompa circensis praetervehetur, Veneris signo plaudet et multa parva officia puellae praestabit, id quod suavissime poeta docet.

Vv. 163—170. Eadem autem, quae circus, ludi gladiatorum in arena instituti commoda praebent, cum in arena item sedes promiscue occupentur, adeoque isti ludi ad augendum amorem modo nasci exorsum faciunt, ut pro gladiatoribus saepe Amorem pugnare et tela in spectatores excutere poeta arbitretur.

Versus 136—163 Tolkiehnius censet inter versus 524 et 525 inserendos esse,[1]) qua primitiva sede eos nescio quo pacto excidisse et primo hexametro, ultimo pentametro sublatis in eum, quo nunc exstant, locum incidisse persuasum habet. Putat enim res illis versibus tractatas per-

[1]) I. Tolkiehn, prior. commentat. pp. 434, 435—437; alter. commentat. pp. 329—331.

spicuae dispositioni versibus 35—37 prolatae et versibus 263—266 repetitae adversari. Nam quod versu 139 puella „domina" appellatur et iuvenis iuxta eam considit, eos inter se iam notos fuisse concludit existimatque praecepta deinceps data, quippe quae ad gratiam puellae conciliandam idonea sint, alteri demum primi libri parti convenire. Huc accedit, ut poetam operam impendisse ducat, ut alterius partis versus 487—525 sqq.[1]) prioris partis versibus 67—252[1]) responderent. Hac enim parte dicit poetam iuveni praecipere, ut puellas in viis publicis atque communibus spatiis (vv. 67—88), in theatris (vv. 89—134), in circo (v. 135), in naumachia in amphitheatro instituta (vv. 164—176), in triumphis (vv. 177—228), in conviviis (vv. 229—252) venetur, illa parte commendare, ut puellae in viis publicis (vv. 487—496) et in theatro (vv. 497—524) et in conviviis (vv. 525 sqq.) praesto sit, ita, ut in altera parte circus, naumachia, triumphi omittantur. Sed naumachiam et triumphos deesse mirum non esse statuit, cum naumachiae spectaculum unicum sit et una cum triumpho non nisi ad domum principis celebrandam pertineat, ut ea postea repetere opus non sit, de circo autem idem dici non posse contendit. Nam primum Art. am. III 387—396, quo loco puellae ubique in virorum conspectum se dare iubentur, praeter triumphos et cetera loca et circum enumerari monet, unde hunc etiam in altera primi libri parte concludit

[1]) Alter. commentat. p. 331 dicit vv. 487—658! (scripsit quidem 659) et 55—262.

afferri debere. Deinde, quoniam ad circum non eadem amatoria praecepta valeant atque ad theatrum, cum hic viri et feminae separatim, illic promiscue spectent, in altera primi libri parte praecepta vehementer requiri affirmat, quomodo in circo puellarum animi pertemptentur. Tum versibus 499 sq.

„Illam respicias, illam mirere licebit,
Multa supercilio, multa loquare notis"

si versus 136—163 post versum 524 locentur, commodissime opponi pronuntiat versus 137 sqq.

„Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris,
Nec tibi per nutus accipienda notast:
Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto."

Praeterea, cum in arena feminae per Augustum a viris secretae de superioribus tantum subselliis, in circo cum viris commixtae spectaverint, versus 163 et 164

„Hos aditus circusque novo praebebit amori
Sparsaque sollicito tristis harena foro"

non in unum coniugari potuisse dicit, quoniam aditus non idem esse potuerint.

Sed quo iure iudicare potest, utrum inter quosdam locos prioris partis et alterius aequabilitas quaedam intercedat necne, qui istos locos non intellexit? Atqui criticus noster ut versus 505—524 ad theatrum refert, quibus praecipitur, quo cultu amatorem in publicum prodire deceat,[1])

[1]) Alter. commentat. pp. 331, 332 rectius sentit a Bürgero l. c. p. 70, adn. 3 vituperatus. Sed summam sententiam non mutavit, quin etiam longius a vero deerravit.

ita versus 164—176 unum capitulum esse censet et naumachiam in arena in foro exstructa institutam opinatur neque videt versibus 164—170 de ludis gladiatorum agi.[1])

Quandoquidem autem occasio data est, statim id argumentum profligemus, quo contenditur versus 164 sqq. versibus 135—163 succedere non potuisse, quia in arena viri et feminae separatim consederint. Nam etsi Sueton., De vit. Caes., Div. Aug. cap. 44 scriptum exstat: „Feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari sollemne olim erat, nisi ex superiore loco concessit“, tamen eo,

[1]) Bürgerus ipse quoque versibus 164—176 de naumachia sola cogitat, gladiatorum ludi eum effugerunt, id quod l. c. pp. 51 sq. lucide patefit, cum scribit: „Porro (163—176) . . etiam amphitheatrum ad puellam inveniendam aptum esse dicit. . . Et ut Ovidius id . . affirmet, exemplum affert, quo efficiatur tales pugnas etiam Amori favere; respicit enim ad Augusti naumachiam ‚modo‘ factam“. Hic error inde videtur exortus esse, quod amphitheatra exstabant, quorum arena inundari poterat. Sed facile intellegitur hoc in amphitheatris de lapide aedificatis tantum fieri potuisse, non in amphitheatris de ligno celeriter in foro exstructis.

Brandtius autem in editione sua a. 1902 dimissa ad versus 171—176 adnotat hanc naumachiam in foro Augusti institutam esse. Sed obstupescere licet, cum eum, quem ipse laudat, locum evolvimus. Scriptum enim legimus R. gest. Div. Aug., ed. Th. Mommsen 1883², p. 94, cap. XXIII, Lat. 4, 43 sq.: „Navalis proeli spectaculum populo dedi trans Tiberim, in quo loco nunc nemus est Caesarum, cavato solo . . .“

Quod reliquum est, Tolkiehnius, alter. commentat. pp. 329, 329 adn. 1, 331, 331 adn. 3, in versibus 164—176 intellegendis profecit, nimirum Brandti adnotationibus, quantum fieri poterat, doctior factus. Neque tamen summam sententiam mutavit, immo expressis verbis legentes ad priorem commentationem delegat.

quo amatoria carmina Ovidius composuit, tempore antiquam spectandi consuetudinem etiam viguisse hic ipse Artis amatoriae locus clamat atque vociferatur versibus 167 sq.

„Dum loquitur tangitque manum poscitque libellum
Et quaerit posito pignore, vincat uter.“

Nam ad quemnam ista pertineant nisi ad puellam, iuxta quam sedet? Quod ut per se ipsum patet, ita illustratur versibus 577 sq.

„Et quemcumque cibum digitis libaverit illa,
Tu pete dumque petes, sit tibi tacta manus!“

Sed ut illam aequabilitatem iam pensitemus, magnopere miramur Tolkiehnium illos libri tertii versus adhibere, ut circum in altera libri primi parte deesse non debere probet. Nam qui loca illis versibus commemorata cum eis locis comparabit, quae in duabus libri primi partibus afferuntur, facile cognoscet priori libri primi parti illos versus multo magis respondere quam alteri, quae sententia ea quoque re confirmatur, quod, similiter atque in priore libri primi parte iuvenes, illis versibus puellae instruuntur, quibus locis venentur, id quod versibus 419—428 plane apparet. Quanam igitur ratione illinc effici potest circum in altera libri primi parte deesse non debere?

Verum tandem excutiamus, qualis illa aequabilitas sit. Ac primum Tolkiehnio facile largimur naumachiam et triumphum in altera parte repeti opus non fuisse et de Baiis et nemore Dianae ultro tacere volumus, quamquam neminem puto fugiturum esse quattuor occasiones

omissas ad aequabilitatem non ita parvi momenti esse. Sed cum in priore parte porticus, festa, templa, fora, theatra, circus, arena, convivia enumerentur, in altera parte gestatio, porticus, theatrum, convivium commemoretur, iam vides ut in priore parte unam alterius partis occasionem, ita in altera parte quinque prioris partis occasiones deesse. Ergo cum de octo prioris partis occasionibus tres tantum in altera parte occurrant eaeque insuper spatio viginti versuum inter se disiungantur, num inter illas partes ulla aequabilitas esse potest? Quae si appareret, intellegens vir poetam artium male scientem increparet. Neque enim quicquam longinquius atque molestius fingi posset. Quin etiam dedita opera poeta videtur cavisse, ne qua aequabilitas exoriretur. Haec enim causa erat, cur versus 505—524 de cultu agentes inter theatrum et convivium locaret, quamquam videbimus hoc etiam alia mente factum esse, haec causa erat, cur in priore parte theatrum narratione fabulari instrueret, convivium non exornaret, in altera parte convivium fabula illuminaret, theatrum non exornaret, et eadem causa iam antea valuit. Nam etsi versus 89—134, quibus iuvenis in theatris venari iubetur, secundum totam structuram fortasse non habebant, ubi versus 137sq. ad theatrum pertinentes ponerentur, tamen hos versus nobis persuasum est ideo potissimum in eo, quod de circo est, capitulo locatos esse, ut inter versus 89—134 et 497—504 omnis aequabilitas vitaretur, nimirum versuum 499sq. causa. Et prudenter poeta

hoc instituit. Nam ut de uno capitulo ad alterum sollerter transit, cum exponit, quod discrimen inter theatrum et circum intercedat, ita non deest, quo versus 137sq. spectent, quoniam antecedenti capitulo theatrum poeta designare studet, in quo puellae in superioribus tantum subselliis sedent, id quod illo „Respiciunt" v. 109 plane patefit. Quamquam legentes, quibus aliud theatrum nisi ita comparatum obversari non poterat, etiam per se ipsos apparet statim intellecturos fuisse, quid versus 137sq. sibi vellent, cum praesertim iuvenis in theatris venari iussus esset.

Sed quoniam aequabilitate occupamur, miramur, quod criticus noster, qui aequabilitati tantopere studeat, circum transpositis versibus 136—163 uno tantum versu 135 tractari vult. Nonne apparet aequam tractationem, qua prioris partis capitula poeta affecit, ista transpositione iniquam fieri?

Iam ad alia convertamur. In altera enim libri primi parte, qua quam pedetentim amator ad cultam, quam elegit, puellam accedere iubeatur speramus ea, qua sententiarum conexum evolvimus, parte patefuturum esse. primum amatori commendatur, ut puellae ancillam sibi conciliet (vv. 351—398), deinde praecipitur, ut ad puellam litteras mittat (vv. 437—486), tum suadetur, ut omni occasione in eius conspectum se det et mutus cum ea supercilio atque notis loquatur (vv. 487—504), denique coram puella in convivio sermone tecto uti licet (vv. 525—606), postremo versibus 607sqq. liberum collo-

quium conceditur. Similem in modum in priore parte primum poeta loca quaedam iuveni monstrat tantum (vv. 67—88), deinde digitis et nutibus eum loqui iubet (vv. 89—134; cf. vv. 137 sq.), tum praecipit, ut cum puellis urbane sermocinetur (vv. 135 sqq.). Quas luculentas adeundi et accedendi gradationes, quibus eximia poetae ars comparet, quis Tolkiehni transpositione conturbari atque deleri patietur?

Porro versus 229

„Dant etiam positis aditum convivia mensis"

tota dictione postulare videtur, ut alter versus item nomen „aditus" continens praecedat, nimirum versus 163

„Hos aditus circusque novo praebebit amori."

Quod reliquum est, „aditus" nomen in alteram libri primi partem ne quadrare quidem videtur. Nam hoc observasse nobis videmur „aditum" ad priorem partem pertinere, „accessus" (vv. 351, 603) sive „accedere" (v. 709) ad alteram partem. Sed haec sunt lericula.

Monendum autem est, si versus 136—163 post versum 524 locantur, versum 163

„Hos aditus circusque novo praebebit amori"

toto dicendi genere indicare in pentametro sublato de convivio agendum fuisse. Cum vero versus 525 sqq. ita incipiant

*„Ecce, suum vatem Liber vocat: hic quoque amantis
Adiuvat et flammae, qua calet ipse, favet"*

hoc nullo pacto fieri potuit. Neque enim ante „Ecce" quicquam de convivio stare potuit. Relinquimus igitur

versus 136—163 eo, quo traditi sunt, loco, quod si facimus, versus 163 habet, quo optime excipiatur. Suo autem iure versus 163 et 164 in unum coniugari iam vidimus, quoniam in arena iuvenibus condiciones eaedem sunt atque in circo.

Sed ut iam ad summam quaestionem aggrediamur, qua Tolkiehnius versus 136—163 propter res, quae iis tractentur, censet in alteram partem transferendos esse, primum valde miramur eum in illo „domina" v. 139 offendisse. Nempe hoc poeta sibi vindicare potest, ut puellam, quam iuvenis dominam eligit, dominam appellet. An poetam tam longinquum atque molestum volumus esse, ut dicat „domina futura"? Ceterum, quam decolor atque vaga nominis „dominae" notio esse possit, plane docet versus 288. Deinde iuvenis, si sedem vacuam conspicit, cum circum intravit, cur tandem eam omittere debet, quod placita puella, quae iuxta sedet, ei ignota est? Et cum iuxta puellam consedit, curnam mutus sedeat? Si vero haec verba, quae cum puella loquitur, et parva officia, quae puellae praestat, exigimus, num ea ullo pacto ad alteram partem pertinere possunt, qua de exorando, capiendo, potiundo agitur? Iuvenis urbane se gerit. Nihil amplius facit.[1]

[1] Conferas, quae de gradatione adeundi p. 12 initio exposuerim. Fortasse Tolkiehnius Amorum libri III elegia 2 impulsus est, ut ei loco, quo hoc Artis amatoriae capitulum traditur, tantopere diffideret. Nam cum illius elegiae duo ultimi versus plane ostendant, ad quemnam finem amatoris sermo duxerit, facile in eam opinionem incidere potuit, ut hoc Artis amatoriae capitulum, quod prorsus in

Sed in hoc ipso capitulo scriptum exstat, ex quo efficiatur iuvenem et puellam non iam antea inter se notos fuisse, cum versu 163 legamus: „Hoc aditus circusque novo praebebit amori". Quod si criticus noster contra dicat tam celeriter homines amare non posse, nos monemus de versibus 41 sq., quibus poeta iuveni praecepit

„Dum licet, et loris passim potes ire solutis,
Elige, cui dicas „tu mihi sola places""

quod non dicet, qui non amabit, neque credimus Romanos Ovidianis temporibus in hac saltem re minus potuisse quam priscis temporibus Herculem, de quo poeta libri III versibus 155 sq. refert

„(Ars casu similis:) sic capta vidit ut urbe
Alcides Iolen, „hanc ego" dixit „amo"."

Porro etiam illo „si nolit" v. 141 evincitur iuvenem puellae ignotum fuisse. Nam si necessitudine amoris coniugati circum visissent, illa non tam pudice se re-

illa elegia positum esse illius elegiae versibus 2, 19/20, 23/24, 25—28, 37/38, 41/42, 43, 55/56, 63/64, 67 patefit, in alteram libri primi partem referendum sit. Sed maioris momenti nobis videtur esse, quibus rebus Artis amatoriae capitulum ab illa elegia differat. Quod si quis illius elegiae versus 3—18, 27—36, 39/40, 57—62, 75/76, quibus in Artis amatoriae capitulo nihil respondet, oculis proponet, facile animadvertet, quid inter urbanitatem et importunam amoris petitionem intersit. Verum cur tam importunum carmen poeta in tam urbanum capitulum transformaverit, causa est, quod id priori libri primi parti destinavit. Si vero aliquis iudicet poetae non penitus contigisse, ut hoc capitulum omni importunitate purgaret, quam equidem nullam detegere potui, illud rem facile explanaret, quod hoc capitulum in Amorum elegia positum est.

tractaret, cum praesertim lege loci latus lateri iungi cogeretur. Imprimis autem critico nostro refragantur lepidissimi illi versus 143—145

„Hic tibi quaeratur socii sermonis origo,
Et moveant primos publica verba sonos.
Cuius equi veniant, facito studiose requiras."

neque est, quod singulis persequamur haec praecepta ad iuvenem satis imperitum pertinere, qui cum puella prorsus ignota sermocinari cupit neque scit, quo modo sermonem instituat. Nam si illi inter se noti essent, non dubitamus, quin scirent, quae loquerentur.

Sed de gravioribus etiam monendum est. Iam collegimus e versibus 167 sq. iuvenem in arena iuxta puellam sedere. Sed in toto, quod de arena est, capitulo nusquam puellae mentio fit. Non igitur versus 164—170 soli stare neque per se ipsi fingi possunt, immo in antecedenti capitulo positi sunt, quo poeta iuvenem iuxta puellam considere iussit. Ea autem, quae illo capitulo praecepit, etiam in insequens valere plane denotavit ea ratione, qua versus 163 et 164

„Hos aditus circusque novo praebebit amori
Sparsaque sollicito tristis harena foro"

in unum coniunxit.[1]) Ergo aut Tolkiehnius versus 136—163 suo loco relinquere aut versus 164—170 ipsos quoque amovere debet. Si vero alterutrum facit, de tota primi libri priore parte actum est.

[1]) Propterea non probamus Brandtium versus 164—170 separatim imprimendos curavisse.

Ut in prooemio commentationis nostrae significavimus, Bürgerus ipse quoque praecepta eius, quod de circo est, capituli contra prolatam dispositionem in priore parte iudicat posita esse, cum alteri parti convenirent.[1] *Quam opinationem ea, quam supra persecuti sumus, argumentatione et ipsam refutatam esse ducimus.*

Vv. 171—176. Sed non solum ludos certis locis certisque temporibus institutos, quales theatri, circi, gladiatorum sunt, poeta commendat ut iuvenes visant, sed etiam ludos extra temporis ordinem effectos. Talis enim ludus Augusti naumachia modo edita fuit, ad quam cum undique terrarum puellae Romam convenerint, tam idoneam occasionem ad puellam reperiendam, si quando rursus tale quid accidat, poeta dicere vult ne iuvenes praetermittant.

Vv. 177—228. Et re vera tale quid mox exspectandum esse poeta praenuntiat, quoniam C. Caesar expeditionem in Parthos suscepturus sit; quem cum poeta vaticinetur victurum esse, non ita multo tempore triumphum actum iri indicit. Ac maxima huius capituli parte (vv. 177—212), cum de expeditione apparata loquitur, nimiis atque importunis laudibus Augustum et C. Caesarem filium celebrat, sed altera parte (vv. 213—228) praesagiens triumphum de Parthis agendum vividis coloribus depingit. Hic autem, ut omnes triumphi, idcirco ad inveniendam puellam aptus erit, quod, cum promiscue viri et feminae

[1] R. Bürger, l. c. pp. 51, 70.

inspectent, iuvenis ad puellam, si qua ei placuerit, appropinquare eique interrogatus sive non interrogatus homines atque figuras in triumpho praetervectas explanare poterit, qua ratione animum eius ad se convertet.

Vv. 229—252. Adhuc poeta ut in publica loca et ad publicos apparatus iuvenes duxit, ita ne privatorum apparatus apud privatos instituti neglegantur praecipit, scilicet convivia, a quibus, quoniam et iuvenes et puellae eis solebant interesse, poeta lepide dicit praeter vinum etiam aliud peti posse. Favebit autem huic rei Amor, ut qui cum Baccho conspiret, itaque iuvenum animos vino laetorum puellae facile rapient. Sed unum incommodum conviviis contineri poeta facete adicit: neque enim mendas puellarum lucernae detegunt, immo nocte et mero unaquaeque formosa videtur, qua re poeta iuvenibus suadet, ut de facie puellarum diei lucem consulant.

Praecepta intra versus 213—228 data Bürgerus iudicat ab indole primae partis abhorrere, et consentaneum est eum, qui sermone in circo instituto offensus est, etiam sermonem in triumpho habitum vituperare.[1] *Sed apparet eis argumentis, quibus reprehensiones in priorem sermonem enuntiatas defendimus, etiam alterum confirmari; neque enim natura inter se distant. Quod vero Bürgerus praecepta inde a versu 245 data natura ipsa ad partem alteram pertinere contendit,*[2] *nos muti obstupescimus.*

[1] R. Bürger, l. c. p. 53.
[2] Idem, l. c. p. 54.

Vv. 253—262. Iam enumerationem occasionum ad venationem idonearum poeta interrumpit, quippe quarum tantus numerus exstet, ut enumerari non possint (vv. 253, 254). Sed appendicis loco etiam duo loca extra Romam sita perapta addit: Baias balneis illas celebres, quo aestate potissimum cultissima quaeque contendebat (vv. 255—258), et Dianae templum Ariciae situm, ubi sollemni die puellae faces manibus tenentes currebant (vv. 259—262).

Vv. 263—268. Poeta quoniam huc discipulos duxit, secundum partitionem versibus 35—38 prolatam pressis verbis effert primam partem, qua docere voluerit, quibusnam locis puella reperiri posset, se confecisse iamque in eo esse, ut persequatur, quibus artibus reperta puella exorari sive capi possit. Itaque iuvenes monet, ut attenti sint.

Vv. 269—350. Iam alteram partem inde poeta incipit, ut iuvenes confisos esse iubeat puellas omnes capi posse. Nam furtivum amorem puellis non minus gratum esse quam viris, nisi quod illae tectius cupiant his. Quod si viri constituant iam non priores rogare, rogantium partes illas acturas esse.[1]) Quin etiam puellarum libidinem poeta affirmat acriorem esse quam virorum (vv. 269—282). Quod ut demonstret, decem exempla

[1]) Quam falso Brandtius hunc locum intellexerit, ostendit adnotatio eius ad versus 277—280 proposita: „Der Mann soll nicht ungestüm fordern, sondern soll der bereits gewonnenen Frau die Rolle, Liebe zu heischen, überlassen".

e Graecorum narrationibus mythicis petita affert eaque Byblidis, Myrrhae, Pasiphaae, Aeropae, Scyllae, Clytaemestrae, Medeae, Phthiae, Phaedrae, Idaeae, quorum tertium versibus 289—326 uberius poeta tractat (vv. 283—340). Quoniam igitur his exemplis evicit, quod posuit, iterum iuvenes monet, ut cunctas sperent. Si qua tamen neget, repulsam tutam esse poeta consolatur, quod etiam negans puella gaudeat se rogatam esse. Verum non credit poeta ullam negaturam esse, cum unaquaeque libenter amatorem mutet (vv. 341—350).

In hoc capitulo Tolkiehnius in eo offendit,[1]) quod decem illarum fabularum tertia, non ultima copiosius, i. e. undeviginti distichis, enarretur, cum reliquae unum vel duo disticha expleant.[2]) Haec enim ratio a legibus, quas Ovidius in carminibus suis sequatur, Tolkiehnio videtur alienissima. Nam observavit, cum exempla ex historia fabulari sumpta ponantur, si ornandi causa poeta fusius scribat, in Arte amatoria unam tantum fabulam referri, et quidem locis hisce: I 101—130, 527—564, 647—654;[3]) II 21—96, 123—142, 399—408, 467—488, 561—592; III 685—746. Exceptionem

[1]) I. Tolkiehn, prior. commentat. pp. 434 sq.; alter. commentat. p. 330, adn. 1.

[2]) Non attendit Tolkiehnius duas fabulas etiam singulis tantum versibus contineri.

[3]) Hi versus non recte allati sunt. Nam duas fabulas amplectuntur, cum versibus 647—652 de Busiride et Thrasio, versibus 653, 654 de Phalaride et Perillo agatur.

inveniri unam statuit, cum I 679—704 tria obviam fiant exempla, quorum primum et secundum uno disticho terminetur, tertium numerum duodecim distichorum comprehendat. Idem fere monet factum esse Remediorum versibus 261—288 et 589—608, ubi bina exempla ita proferantur, ut priora singulis, altera reliquis distichis contineantur, neque praeterit duo illa exempla Tristium III 11 versibus 39—54 exstantia, quorum prius brevissime tantum commemoratur. Etiam magis dispositionem illius Artis amatoriae loci putat Amorum III 6 versibus 25—82 vitiosam evinci, quibus inter novem fabulas octo primae singulis vel binis distichis absolvantur, nona undeviginti distichis copiose exponatur. His locis omnibus certam quandam legem in mythicis tractandis constanter observari arbitratur itaque censet etiam decem illorum Artis amatoriae exemplorum tertium, quo Pasiphaae amor amplius enarretur, primitus ultimum fuisse et propterea post versum 340 locandum esse.

Iam cum varios feminarum hoc loco enumeratarum casus perlustrat, in eam opinionem incidit, ut etiam versus 283—288 post versum 340 ponendos esse ducat. Quod si fiat, singularem gradationem effici affirmat, cum leviora atque infirmiora argumenta (vv. 327—340) gravioribus atque immanioribus, quibus feminas libidine ad incestum (vv. 283—288) aut ad concubitum cum bestiis (vv. 289—326) interdum impelli poeta demonstret, rhetorice praeponantur.

Sed facile intellegitur hanc gradationem tanti momenti non esse, ut ea nixo cuiquam traditum ordinem commutare liceat. Quod ne faciamus, certis de causis impedimur. Ac primum quidem qui considerabit, qua ratione versus 282 et 283

„Legitimum finem flamma virilis habet.
Byblida quid referam, retito quae fratris amore Arsit“

inter se apti sint, facile cognoscet unum altero excipi sive unum alteri opponi, unde eos nullo pacto divelli debere sequitur.

De transpositione versuum 283—288 igitur actum est. Iam perpendamus, quo iure transpositio versuum 289—326 fiat. Ac primum praetermittimus legem illam primo in carmina Ovidi statui, deinceps Arte amatoria temperari. Sed si illam ad normam recte cogitandi exigimus, mirati quaerimus, qua ratione ea poetae consuetudine, qua, si ornandi causa fusius scribat, unam tantum fabulam referat, probari possit versibus 289—326 non tertiam, sed ultimam fabulam uberius enarrandam fuisse. Quid istae singulae fabulae sibi volunt? Una ultima esse debet. Ergo, quoniam nostro loco decem fabulae continentur, illa exempla singulas fabulas amplexa excludenda sunt. Neque ita multo aliter res se habet in illis quattuor[1]) exemplis, quibus binae fabulae ita exponuntur, ut priores initio breviter absolvantur, alterae totam reliquam partem expleant. Nam sensus communis

[1]) Dico quattuor; nam Art. am. I 679—704 fabulae prima et secunda pro una stant, tertia alterius partes agit.

flagitat, ut, si duae fabulae afferuntur, fabula unum distichum vel versum explens praemittatur, longam seriem distichorum explens subsequatur, quoniam, si longa praecederet, brevis succederet, brevis longa obrueretur.[1] *Sed nostro loco non duae, sed decem fabulae tractantur neque de decem fabulis idem valere potest, quod de duabus valet. Nimirum tota illa lex nulla est. An criticus noster illo Amorum loco supra laudato niti vult, quo novem fabularum nonam poeta copiose persequitur? Sed ab uno exemplo ut lex ducatur, fieri non potest neque quisquam nostro Artis amatoriae loco nixus minus recte contenderit, si multae fabulae afferantur, una amplius enarretur, tertiam abundanter exponendam esse.*

Sed certum argumentum praesto est, quo demonstratur Pasiphaae fabulam non ultimum locum obtinuisse, dico versum 341

„Omnia feminea sunt ista libidine mota.“

Nam ad quae tandem haec verba pertineant nisi ad eventus earum libidinum, quae versibus 327—340 referuntur? Per Aeropae enim libidinem tanta scelera committuntur, ut Sol faciem avertat: Scylla hostis amore inflammata proditione patris mortem efficit, ipsa in aqua demergitur; Clytaemestra maritum interficit, ipsa a filio necatur; Medea Creusam suosque natos occidit: Phthia

[1] Exceptionem praestant Art. am. libri I versus 647—654 iam commemorati, ubi longior fabula breviori praemittitur. Sed cum prior tribus tantum distichis contineretur, periculum non erat, ne altera unum distichum comprehendens priore opprimeretur.

auctor est, ut Phoenix Amyntoris filius innocens caecetur et muro cingatur, pater se suspendit, ipsa in puteum praecipitat; Hippolytum equi innocentem diripiunt: Idaea Phineo persuadet, ut filios innocentes caecet et muro saepiat, ipse item caecatur: sane immania per feminarum libidinem concitata scelera atque caedes. Contra ad Pasiphaae fabulam illa verba nullo modo referri possent. Neque enim illius impuritate quisquam damnum accipit. Quo accedit, ut illa verba non ad unum, sed ad plures casus redeant. Ergo, quoniam illa verba ad versus 327—340 spectant neque super molem narrationis de Pasiphaa institutae respicere possunt, apparet versus 327—340 extremum locum obtinere necesse esse.

Non igitur habet Tolkiehnius, quod ordinem illarum fabularum mendosum probet esse. Sed ultro inquiramus, sitne quaedam ars, qua poeta illas fabulas ita digesserit. Iam videmus eum uno disticho initium facere, deinde duobus distichis ascendit, tum strenuo nisu undeviginti distichis in fastigium evadit. Iam rursus descendit et initio duobus distichis utitur, deinde ter singulis distichis, tum bis singulis versibus, postremo, ne finis quodam pondere careat, uno disticho. Quod si quis considerabit, facile concedet hoc non fortuito, sed poetae consilio factum esse tantamque Ovidi accurationem rerum componendarum atque digerendarum Tolkiehni transpositione deleri.

Vv. 351—398. Sed hoc capitulum potius prolusionis loco poeta praemisit, ut iuvenis animum confirmaret.

Nunc artem capiendi ipsam docere instituit. Sumendum enim est iuvenem placitam puellam repperisse eiusque nomen et domicilium extricasse. Ac primum quidem poeta suadet, ne statim ad puellam ipsam iuvenis accedat, quoniam tam cultae feminae non omni tempore faciles sint, immo commendat, ut prius intimam eius ancillam corrumpat pollicitis usus et precibus. Hanc enim maxime idoneum tempus eligendo accessum expedituram esse. Tum vero puellam facilem fore poeta dicit et aptam, quae capiatur, cum mente laeta sit; verum hoc quoque tempus opportunum esse, quo propter paelicem doleat. Hac enim occasione arrepta ancilla de novo amatore narret iuretque eum insano amore mori (vv. 351—374). Iam hanc quaestionem ut appendicem poeta excutit, utrum res melius processura sit, si haec ancilla ipsa violetur, necne. Non certum consilium dat, sed in universum rem dissuadet. Si vero ancilla, dum dominam inter et amatorem viam muniat, corpore placeat, domina prius potiri iubet, cum ab ancilla amorem incipi dedeceat. Qua in re hoc monet, ut ancilla aut non temptetur aut perprimatur, quoniam temptata tantum indicio nocere possit, cum praesertim in posterum numquam in plagas casura sit, id quod exemplis e vita venatorum petitis illustrat.[1]) Commissum autem semel cum ancilla furtum

[1]) Versum 391 Brandtius ita interpretatur: „non utiliter nicht zu seinem Frommen, d. h. überhaupt nicht. Nicht die einfache Thatsache wird negiert (non effugit) sondern die Folge der momentan als möglich gedachten Thatsache, damit aber diese selbst." Non

ut curiose celetur, poeta poscit atque flagitat, quod si fiat, amatorem affirmat semper per ancillam de dominae vita certum fore (vv. 375—398).

Vv. 399—436. Sed malus praeceptor poeta esset, si discipulos non instrueret temporum rationem amatoribus non minus habendam esse quam agricolis et nautis. Ut enim per anni tempora non semper sementis fieri aut mari navis committi possit, ita poeta pronuntiat non semper tutum esse puellam captare (vv. 399—404). Cum infestis autem anni temporibus amatori comparandum esse dicit puellae diem natalem et Kalendas Apriles et illud tempus, quo in circo splendidae illae merces expositae sint. Nam cum his temporibus res familiaris facile potuerit labefactari, cum eis fieri non posset, quin amator puellae dona daret, poeta, si quis illis diebus puellam capere studeat, idem esse contendit, ac si quis hiemali tempore in altum vehatur: naufragium enim factum iri hic navis, illic rei familiaris. Quapropter illis diebus necessitudinem cum puella ineundam differri iubet sive

dignum est commemoratu fieri non posse, ut „nicht zu seinem Frommen" idem sit atque „überhaupt nicht". Sed qua ratione dici potest avi utile non esse e visco effugere? Avi nempe perutile est, sed venatori utile non est, quippe quem ista avis in perpetuum effugerit, ut Ovid. ex Pont. II 7, 9sq. legimus

„Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis aera subesse putat".

Simile nimirum hoc est: ut venator avem sive feram iam non in rete illiciet, si paene capta rursus effugerit, ita amator ne ancilla quidem in posterum potietur, si temptata tantum dimissa erit.

initam desini (vv. 405—412). Ad incipiendum autem amorem diem Alliensem et sabbatum Iudaeorum idoneum significat. Quos dies, quamvis hominibus religiosi et nefasti sint, amatori faustos esse dicere vult, nimirum quod commercium eis conquiescebat neque ad pecuniam expendendam occasio dabatur. Contra pro superstitiosis et atris diebus, qualis dies Alliensis et sabbatum re vera habebatur, facete laetum puellae diem natalem habere et ceteros, quibus dona dari solebant, dies amatorem iubet (vv. 413—418). Sed omnem hanc cautionem nihil profuturam esse poeta libere confitetur. Nam etiamsi hos dies amator vitaverit, tamen puellam rapere scituram esse poeta asseverat et quidem lepidissima pictura et pluribus exemplis demonstrat, quibus puellae artibus futurum sit, ut amatoris pecunia carpatur. Non decem ora cum totidem linguis affirmat satis esse ad rapaces puellarum artes enarrandas (vv. 419—436).

In hoc capitulo Tolkiehnius in eo offendit, quod poeta, quamquam versibus 405—412 iam absolverit, qui dies ad accedendum non idonei essent, versibus 417—436 ad istos dies redeat iterumque de eis praemoneat. Qui versus, quod non solum cum antecedentibus coniuncti non sint, sed etiam tamquam additamentum non aptum perpetuitatem interrumpant, quippe quibus actio accedendi moleste retardetur, commendat ut inter versus 404 et 405 intericiantur.[1])

[1]) I. Tolkiehn, alter. commentat. pp. 330 sq.

Nos omnia recte se habere enarratione huius capituli supra effecta probavisse existimamus. Quod vero ad Tolkiehni offensiones attinet, retineri non potest versibus 417—436 poetam iterum de puellae die natali et ceteris illis diebus praemonere, sed dubium non est, quin tantum versibus 417, 418 de istis diebus iterum praemoneat, contra versibus 419—436 libere atque facete confiteatur omnem, quam suasit, cautionem nihil profuturam esse, unde apparet hos versus ad illos non pertinere. Sed ne versus 417, 418 quidem ita ad versus 405—412 respiciunt, ut Tolkiehnius opinatur. Nam etsi sic, ut scripti sunt, scribi non potuissent, nisi versus 405—412 anteirent, tamen non simplicem repetitionem continent, sed aliquid novi afferunt perspicuamque progressionem praestant. Nova autem superstitionis notio est. Nam cum non sine aliquo ioco poeta diem Alliensem et sabbatum commendasset, hoc alterum facetiarum ei incidit, ut ea nomina, quae re vera horum dierum propria erant, scilicet superstitiosi et atri nomina, iocosa permutatione diei natali puellae et ceteris illis laetis diebus imponeret. Ex hac autem re etiam intellegitur versus 417 sq. cum praecedentibus arte cohaerere.

Quod si ordinem traditum stabilisse nobis videmur, inter versus 404 et 405 insertis id, quod tradito loco opprobratur versibus 417—436 re vera vitio dandum esset, scilicet quod cum antecedentibus coniuncti non essent. Neque enim versus 417, 418 sine versibus 412—416 recte intellegi possunt. Deinde illa transpositio ideo non com-

mendatur, quod versibus 405 sqq. ei dies, qui praeter natalem idonei non sint, nominatim citantur, versu 418 tantum significantur, unde hos ad illos referri facile colligas. Maxime autem offendimur, quod poeta satis inepte doceret, si primo cautionem nihil prodesse exponeret, deinceps ad eam nihilominus adhortaretur.

Sed quod postremo Tolkiehnius versus 419 (417)—436 accedendi actionem moleste retardare insimulat, magnopere miramur, quoniam totum capitulum, cuius isti versus pars sunt, ad retardationem facit,[1] *neque isti versus perpetuitatem magis interrumpunt quam praecedentis capituli versus 375—398. Peraptum autem et perutile istud additamentum esse manifestum est, quippe quo iuvenes impediantur, ne inania sperent.*

Sed versus 419—436 offensionem dant, quam Tolkiehnius non attendit. Nam versus 422 et 424 sq. plane demonstrant necessitudinem cum puella iam initam esse, id quod hoc loco propterea mirum est, quod amator adhuc ne litteras quidem ad puellam misit. Quamquam poetae hoc facile ignosci potest, quem hac parte de tempore futuro cogitare in promptu est. Verum ne versus 413 sqq. quidem prorsus conveniunt, quoniam die Alliensi sive sabbato amorem incipi tum demum ad necessitatem dona dandi effugiendam utile erit, cum eis ipsis diebus amator ad plenum votum perveniet. Sed actionem capiendi uno die confici non posse versibus 351—398, 437—504, 525 sqq. patefit. Attamen his rebus versus transponendo

[1] Cf. huius commentationis p. 42.

sive secludendo medendum non est, immo poeta per neglegentiam haec admisit, quam libenter ei unusquisque largietur.

Vv. 437—486. Iam fingendum est ancillam de novo amatore locutam esse iamque is parat animum dominae explorare, propitia sit necne. Hoc autem non ita efficit, ut protinus eam visat, quoniam tanta audacia tam cultae puellae displicere possit, sed primo litteras ad eam dat. Nimirum his blanditias contineri poeta iubet nec non preces, verum magis etiam promissiones. Promissa enim docet non solum rem familiarem non perdere, ut quibus unusquisque dives esse possit, sed etiam semel credita puellam in multum tempus tenere, scilicet quamdiu non dentur. Contra si data sint, eam dicit ratione amatorem relicturam esse, quoniam sua abstulerit. Itaque primo iuvenes ut sine munere cum puella se coniungant, poeta lascive suadet, ut Veneris gaudia, ne gratis praebuerit, semper praebeat. Litterae igitur blandis verbis compositae poeta praecipit ut primo animum puellae explorent, quae quantum nonnumquam valeant, exemplo e Graecorum historia fabulari deprompto ostendit (vv. 437—458). Sed blanditiae, preces, promissiones solae non satis sunt: etiam elocutionem amator epistulam scribens spectare debet. Propterea bonis artibus poeta iuvenes iubet operam dare, cum eloquio puellae non minus concilientur quam populus, iudices, senatus. Verum vehementer monet, ne eloquium amator prae se ferat neve litteras

declamationum stilo conscribat,[1]) immo praecipit, ut blandis ille quidem, sed mediis atque consuetis verbis utatur, quasi cum puella sermocinetur (vv. 459—468). Sed quoniam litterae in varias partes accipi possunt, iam poeta praecipit, quomodo iuvenis in singulis casibus se gerat. Et quidem, si litteras puella non accipiat et inlectas remittat, suadet, ut amator iterum iterumque scribat, probatque compluribus exemplis eam tempore mentem mutaturam esse. Si vero litteras illa legat, rescribere autem nolit, poeta ut monet, ne ille eam cogere studeat, ita suadet, ut saepius ad eam epistulas blanditias continentes mittat, asseveratque, quae legere voluerit, eam postea rescripturam esse. Contra si primo puella litteras tristes det rogans, ne iuvenis se sollicitet, poeta docet, ne istis litteris amator credat. Re vera enim illam epistulis gaudere itaque, si amator perstet rursusque scribat, voti eum postea compotem futurum esse (vv. 469—486).[2])

Vv. 487—504. Hoc autem dubio tempore iuvenis, partim ut amoris veritatem ostendat, partim ut praeter epistulas etiam facie animum puellae commoveat, a poeta iubetur unaquaque occasione in eius conspectum se dare, hoc est, simulac per ancillam sive alio quo pacto compererit eam in publicum praestitutam esse,

[1]) Falso Brandtius ad versum 465 adnotat: „declamat schreit auf sie los, poltert". Immo „declamat" ad eas declamationes respicit, quae in rhetorum scholis exercebantur.

[2]) Brandtius versus 459—486 separatim imprimendos curavit. Sed apparet aut versus 459—486 cum versibus 437—458 coniungi aut versus 469—486 ipsos quoque separatim imprimi debuisse.

prope ab ea versari. Quod si puella lectica feratur, poeta praecipit, ut amator ei dissimulanter appropinquet et notis oculos eius in se convertat (vv. 487—490), si vero in porticu spatietur, ut ipse quoque in ea moretur[1]) et semper circum illam vagetur (vv. 491—496). Sed si puella theatrum visat, poeta suadet, ut iuvenis et ipse eo veniat et ad puellam respiciat et superciliis atque notis in eam utatur et prorsus ita se gerat, ut amatorem se praestet (vv. 497—504).

Vv. 505—524. Apparet inter iuvenem et eam, quam ad capiendum sibi proposuit, puellam adhuc tamquam eminus tantum consuetudinem intercessisse, itaque poeta perapte hoc loco nonnulla praecepta dat, quo cultu amatorem prodire oporteat,[2]) cum praesertim versibus proxime antecedentibus eum ita puellam commovere voluerit, ut in eius conspectum se daret. Poeta omni corporis curatione ultra modum egrediente iuvenibus interdicit, quam spintriis et puellis concedi iubet. Viros docet formam neglectam decere legemque constituit, ut

[1]) Versu 492 secundum Brandtium „morae" sermones volunt esse. Sed quo modo amator cum puella sermocinetur, cum versibus 493—496 cum ea non spatietur? Item Ribbeckius, Gesch. d. röm. Dichtung, II (1889), p. 266, sermonis nihil hoc loco conspexit. Praeterea „morae" et „morandi" voces, quamvis saepe in Arte amatoria inveniantur, numquam „sermonis" sive „sermocinandi" significationes habent, quas significationes eis ut omnino nusquam esse credimus ita ne Propert. IV 8, 78 quidem, quo loco Brandtius nititur, quamquam cum Rothsteinio disputare nolumus.

[2]) De hoc capitulo cf. huius commentationis pp. 41 sqq.

sola munditie amatores placeant, quam legem longa serie praeceptorum persequitur.

Vv. 525—606. Quoniam adhuc eminus potius et epistulis et conspectu amator puellam commovere studuit, nunc poeta progrediens eos in unum locum conducit ita, ut eos una cum aliis eidem conventui interesse faciat, in quo ad urbanitatem ostendendam amatori maxime idonea occasio datur, itaque in convivium quoddam amator se confert, cui puellam cum viro interfuturam esse certior factus est. Convivia autem eo commodiora sunt, quod Bacchum amantes adiuvare et ei, qua ipse caleat, flammae favere poeta dicit, quod ut probet, versibus 527—564 de Ariadna narrat a Theseo in Dia relicta et a Baccho recepta.[1] Itaque, cum vinum appositum sit et feminae iuxta viros consederint, poeta amatorem a Baccho precari iubet, ne sibi desit (vv. 525—568). Iam ea, quae convivium praebeat, commoda exponit docetque singulis exemplis, qua ratione iuvenis coram viro puellae amatorem se praestare possit (vv. 569—578). Sed opportunitate convivii etiam ad eam rem poeta amatorem uti iubet, ut in viri amicitiam insinuet, quippe qui amicus factus amantibus utilior futurus sit; quam ob rem commendat iuveni, ut in convivio viro puellae

[1] Hanc narrationem Bürgerus l. c. p. 85 censet aetiologicam esse. Sed hac narratione non causa affertur, cur Bacchus amantes adiuvet, neque Bacchus amantes adiuvat, quod olim Ariadnam recepit. Immo hac narratione poeta tantum illustrat, quod modo dixit, scilicet Bacchum amantes adiuvare.

semper primas partes tribuat et ad voluntatem eius loquatur. Quamquam per nomen amici fallere non effugit poetam frequens illud quidem, attamen crimen esse (vv. 579—588). Quandoquidem autem praecepta amator observare non posset, si ebrius fieret, iam poeta hanc certam bibendi mensuram statuit, ut mens et pedes officium suum praestent. Ebrietatem enim monet iurgia et rixas conflare, cum potius amatorem, si possit, in convivio canere deceat et saltare. At ebrietatem fingere eum iubet, ut, si quae audacius dicat sive faciat, culpa nimio vini tribuatur, statimque talis audaciae exemplum dat (vv. 589—602). Cum vero convivium finitum sit et convivae discedere parent, poeta dicit turba tunc exoriente amatori licere ad puellam accedere suadetque, ut ille turbae se immiscens hac opportunitate in puellam libere utatur (vv. 603—606).

Inde a versu 603 Tolkiehnius poetam opinatur praecipere, quomodo iter a convivio domum faciendum amator in votum suum adhibeat.[1] *Sed cum sententiarum conexum usque ad versum 706 evolvat, postremo desperans interrogare cogitur: ubinam id, quod de itinere domum faciendo agit, capitulum desinit? Nos respondemus: nusquam. Neque enim usquam poeta de itinere domum faciendo agit neque hoc iter amatori quicquam prodesse posset. Nam vir una cum puella convivio interest, vir nimirum una cum puella domum repetit. Quod ut per*

[1] I. Tolkiehn, alter. commentat. p. 332.

se patet, ita illustratur Ovid. Amor. I 4. Quod carmen cum multas partes habeat Artis amatoriae capitulo similes, tum versus Amor. I 4, 55—58 admodum similes invenimus versibus Art. am. I 603—606. Sed quamquam amator cum puella iam rem habuit (v. 64) et vir in convivio ebrius factus est (vv. 51—54), tamen vir una cum puella domum repetit et noctem degit (vv. 59—64), amatori usque ad fores tantum sequi[1]) licet.

Ceterum, quae versibus 603—606 narrantur, magnopere miramur ad viam referri potuisse. Nam manifestum est ea ad domum eius, qui convivium apparavit, pertinere et ad eam turbam spectare, quae necessario fieri solet, cum convivae proficisci parant.

Vv. 607—706. Puella, quoniam suaves epistulas amatoris legit et ipsum in publico semper circum se vagantem conspexit et in convivio se sollerter colentem cognovit, tam cultum et perseverantem et urbanum amatorem, quippe qui iam dudum ei placuerit, id quod ipse etiam animadvertit,[2]) tandem animum inducit admittere certioremque facit se paratam esse ei colloquium concedere.[3]) In hoc autem colloquio poeta iuveni prae-

[1]) Versu 62 exstat „prosequi". Cuius verbi in Georgi lexico et alias significationes et hasce inveni: „hinterdreingehen, hinterherfolgen", quas hoc loco requiri apparet.

[2]) Velim conferas, quae versibus 605 sq. ausus sit.

[3]) Admonendum est poetam nobis rem ipsam, quasi ante oculos nostros geratur, demonstrare, cum pro „Si vero colloquii tempus venerit" dicit „Colloquii iam tempus adest". Hoc ἐναργείας studium

cipit ut omnis timiditas recedat; audentem ut a Fortuna, ita a Venere quoque adiuvari asseverat; facundia opus non esse statuit, immo cupiditate imbutum per se disertum fore affirmat. Neque enim amatori ullas partes nisi amantis agendas esse pronuntiat et has partes qualibet arte agi iubet. Amoris autem asseverati fidem puellae facere poeta contendit facile futurum esse, quoniam unaquaeque se pulchram atque amandam ducat. Cum vero, qui primo simulaverit, saepe vere amare incipiat, per iocum puellas adhortatur, ut simulantibus eo faciliores sint (vv. 607—618). Iam poeta praecipit, ut amator blanditias efferat et quidem puellae faciem, capillos, digitos, pedes laudet, confirmatque hoc praeceptum ea re, quod formae laudibus puellae cunctae delectentur, id quod a communi puellarum indole repetit et exemplis ex historia fabulari et e bestiarum vita sumptis illustrat (vv. 619—630). Deinde promissiones poeta suadet ut haud cunctanter amator faciat, quippe quae puellas trahant, neve illis dubitet quoslibet deos testes addere. Hoc enim sine ulla religione fieri posse poeta asseverat, quod Iuppiter, ut qui ipse Iunoni falsum iuraverit, amantium periuria rideat. Itaque poeta, ut affirmat deos esse et eosdem adesse et ob eam rem vitam integram agendam esse, sic puellas solas decipi iubet. Quin etiam merito eas falli dicit, cum et ipsae fallant. Nam ut Busiris et Phalaris iusti uterque iudices fuerint, quod

causa videtur fuisse, quod sententiarum conexus hoc loco tam diu cognitus non sit.

necis artifices sua quemque arte perire iusserint, hic Perillum, ille Thrasium, ita periuras merito periuriis falli statuit (vv. 631—658). Tum ne lacrimarum quidem poeta amatorem oblivisci sinit, ut quae permultum valeant (vv. 659—662). Denique, cum iam satis sit praeparationum ad longius procedendum, amator cum puella blande sermocinans oscula sumere iubetur. Quod si primo illa renitatur, tamen eam vinci velle poeta asseverat. Sed facete amatorem cavere iubet, ne puella oscula rapta dura[1]) fuisse queri possit (vv. 663—668). Qui vero tantum assecutus sit, ut oscula sumeret, eum poeta confirmat etiam pleno voto potiri posse neque quicquam nisi rusticitatem dicit esse, si quis post oscula ad illud non perveniat. Ad adiuvandam autem rem commendat ut amator, si res postulet, quadam vi utatur, quam puellis, quippe quae ita comparatae esse soleant, ut illud invitae dedisse videri velint, gratam esse contendit. Quod ut demonstret, postquam uno disticho fabulam de Phoeba et Hilaira agentem perstrinxit, proxime insequentibus versibus 681—706 de Deidamia narrat, quam ab Achille per vim stupratam per vim stuprari voluisse inde colligit, quod ad bellum proficiscentem saepe rogaverit, ut maneret (vv. 669—706).

[1]) Brandtius ad versum 667 de morsu cogitat neque negari potest oscula mordentia in hominum consuetudine nonnumquam re vera accidere. Sed hoc loco de morsibus nimirum non agitur, immo oscula, si dignum est commemoratu, tum dura fiunt, cum amator puellae labra premit.

Versibus 607—618 cum Tolkiehnius arbitretur commendari, ut amator eloquentiam ostendat,[1]) nos existimamus e versibus 609 sqq.

„Non tua sub nostras veniat facundia leges:
Fac tantum cupias: sponte disertus eris.
Est tibi agendus amans imitandaque vulnera verbis:
Haec tibi quaeratur qualibet arte fides!“

plane effici amatorem in colloquio amantis partes qualibet arte agere iuberi.

Porro criticus noster iudicat[1]) versum 663

„Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis?“

ad versus 619—630 redire, quippe qui de blanditiis sint, contra cum versibus 631—662 proxime antecedentibus conexum ei deesse. Qua ex re colligit versum 663 versus 619—630 insequi debere, versus 631—662, qui per se offensione vacent, in loco non esse. Sed apparet versibus 619—630 vocis „blanditiarum“ notionem perangustam esse, cum ad laudem faciei, capillorum, digitorum, pedum pertineat. Hoc autem astricto sensu nec „blandi“ nec „blanditiae“ nomen usurpari debere permulti vel Artis amatoriae loci demonstrant:

III 315 „Res est blanda canor: discant cantare puellae!“
I 361 „Pectora dum gaudent nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent: blanda tum subit arte Venus“
II 477 „Blanda truces animos fertur mollisse voluptas:
Constiterant uno femina virque loco“

[1]) I. Tolkiehn, alter. commentat. p. 332.

II 465 „Quae modo pugnarunt, iungunt sua rostra columbae,
Quarum blanditias verbaque murmur habet.“
I 709 „Vir prior accedat, vir verba precantia dicat:
Excipiat blandas comiter illa preces.“
I 701 „Saepe ‚mane!‘ dixit, cum iam properaret Achilles:
Fortia nam posito sumpserat arma colo.
Vis ubi nunc illast? quid blanda voce moraris
Auctorem stupri, Deidamia, tui?“
II 177 „Si nec blanda satis nec erit tibi comis amanti,
Perfer et obdura! postmodo mitis erit.“
II 333 „Nec tamen officiis odium quaeratur ab aegra:
Sit suus in blanda sedulitate modus!“
I 571 „Blanditiasque leves tenui perscribere vino,
Ut dominam in mensa se legat illa tuam.“

Ergo cum ad laudem corporis partium „blandi“ nomen versu 663 pertinere non necesse neque verisimile sit, totum Tolkiehni argumentum corruere in promptu est. Sed si quis quaerat, quonam illud „blandis verbis“ versus 663 spectet, nos respondemus: ad totum adhuc habitum colloquium, quod in asseverationibus amoris, blanditiis, promissionibus, lacrimis constitisse vidimus. Cum vero in amoris asseverationibus verba facienda esse versus 611 ipse doceat neque blanditiae aut promissiones sine verbis cogitari possint et ne lacrimas quidem amatorem sine ullis verbis effudisse sumendum sit, cum igitur verba in his rebus amator locutus sit scilicet non maledicentia, sed aures mulcentia, perapte versus 663 versibus proxime antecedentibus continuatur.

Vv. 707—738. Iam capitula adiunguntur ab antecedentibus ea re distantia, quod eis iam non re vera fit accedendi actio, qua continuo praeceptorum progressu poeta iuvenes gradatim ad summum ducat, sed in universum nonnulla praecepta dat.[1]) Ac primum quidem docet non puellas priores accedere, immo amatorem priorem accedere debere et verba precantia dicere et voti sui causam atque principium dare: iam puellam, ut quae rogari tantum cupiat, preces comiter excepturam esse (vv. 707—714). At si qua puella precibus fastidiosa reddatur, quoniam multae ita comparatae sint, ut, quod instet, oderint, contra, quod refugiat, cupiant, poeta amatori suadet, ut pedem referat et lenius instando taedia sui tollat[2]) (vv. 715—718). Quandoquidem autem exceptionem poeta designavit, statim alteram adicit, qua docet non semper usui esse rogare atque Veneris spem profiteri, sed nonnumquam conducere specie amicitiae indutum prodire (vv. 719—722). Iam precibus expeditis poeta hoc alterum in potiundum valens praeceptum dat,

[1]) Quam obscurus Brandtio sententiarum conexus manserit, ex ea re colligi potest, quod a versibus 631 et 659 capitula separatim impressa incipit, a versibus 607 et 707 non incipit. Sic enim dividit: 525—630, 631—658, 659—722.

Ad quemnam locum ea, quae versibus 603—630 praecipiuntur, pertineant, non dicit.

[2]) Quod Tolkiehnius alter. commentat. pp. 332 sq. dicit versibus 715—718 praecipi, ne amator nimis celeriter rem petat, hoc non recte se habet neque horum versuum praeceptum ad puellas omnes pertinet, sed tantum ad nonnullas.

ut misericordia amator animum puellae moveat. Quod ut efficiatur, poeta suadet, ut ille palleat et macrescat et palliolum comae imponat, scilicet ut, qui eum videat, statim cognoscere possit amorem causam esse (vv. 723—738).

Versus 723—738, ut quibus subito de amatoris facie agatur, et versus 707—722 Tolkiehnius[1]) nullo sententiarum conexu neque ulla particula inter se cohaerere reprehendit, cui discrepantiae ob eam rem auctae, quod versus 723 non ab amatore ipso incipiat, mederi vult, cum versus 505—524 item de amatoris facie agentes, quos loco tradito in ordinem rerum nullo pacto quadrare sibi persuasit, inter versus 722 et 723 interponit.

Sed qui versus 711 et 737 spectabit

„Ut potiare, roga . . . .“

„Ut voto potiare tuo, miserabilis esto“

qui tamquam argumentum eorum, in quibus exstant, capitulorum continent, facile intelleget haec capitula unius ordinis esse. Sententiarum conexus igitur vindicatus est. Quod vero ad initium eius, quod a versu 723 incipit, capituli attinet, similibus initiis etiam aliis locis poetam usum deprehendimus, e quibus quattuor deligere in animo est:

I 399 „Tempora qui solis operosa colentibus arva,
Fallitur, et nautis adspicienda putat:
Nec semper credenda Ceres fallacibus arvis,

[1]) Alter. commentat. pp. 331 sq., 332 sq.

Nec semper viridi concava puppis aquae,
Nec semper teneras tutum captare puellas“

I 459 „Disce bonas artes, moneo, Romana iuventus,
Non tantum trepidos ut tueare reos:
Quam populus iudexque gravis lectusque senatus,
Tam dabit eloquio victa puella manus.“

I 637[1]) „Expedit esse deos, et, ut expedit, esse putemus:
Dentur in antiquos tura merumque focos;
Nec secura quies illos similisque sopori
Detinet: innocue vivite, numen adest.
Reddite depositum, pietas sua foedera servet;
Fraus absit, vacuas caedis habete manus:
Ludite, si sapitis, solas inpune puellas!“

III 311 „Monstra maris Sirenes erant, quae voce canora
Quamlibet admissas detinuere rates;
His sua Sisyphides auditis paene resolvit
Corpora; nam sociis inlita cera fuit.
Res est blanda canor: discant cantare puellae.“

Quod si talia initia in deliciis poetae videmus esse, scilicet ut aliquid inopinati atque improvisi afferendo legentes teneat, in versu 723 non haerebimus neque in versu 739 offendemus, cum praesertim hoc loco interrogationis causa particula adnectens adhiberi non potuerit.

Sed quod criticus noster versus 505—524 et 723—738 putat rebus inter se contineri, ambo capitula de facie illa quidem sunt, sed nihilominus inter ea tantum interest,

[1]) Sic poeta in medio capitulo ex improviso incipit.

ut quaeri possit, an omnino ulla ratio inter ea intercedat. Nam illo praecipitur, ut amator munditie placeat, hoc commendatur, ut pallore et macie puellae misericordiam commoveat. Quod si casu quodam versus 505—524 ante versus 723—738 pervenissent, haec capitula dehiscere unusquisque primo obtutu attenderet. Ad hoc ea praecepta, quae versibus 505—524 dantur, inter versus 722 et 723 nimirum nimis sero darentur, quippe ubi res iam ad potiundum processisset.

Quod vero versus 505—524 Tolkiehnius dicit in locum traditum non quadrare, alterius partis compositionem paulum scrutari opus est. Videmus enim actionem capiendi ita comparatam esse, ut primum amator ancillam sibi conciliet (vv. 351—398), deinde puellae epistulas mittat et interea semper in eius conspectum se det (vv. 437—504), tum in convivio urbanitatem suam ostendat (vv. 525—606), denique in libero colloquio audacter amantis partes agat (vv. 607—706). Sed praeterea poeta docere voluit puellas cunctas capi posse (vv. 269—350), ea tempora, quibus dona solerent dari, vitanda esse (vv. 399—436), faciem coli oportere (vv. 505—524). Quae capitula si quolibet alterius partis loco coniunctim posita essent, fieri non poterat, quin astricta totius libri dispositio deleretur. Propterea distributa sunt ita, ut partim praemissa actionem capiendi praepararent, partim inserta retardarent, sed idoneo loco inserta non turbarent, immo fulcirent, a convivio demum libero cursu eam procedere paterentur. Versus

autem 505—524 peridoneo loco insertos esse in ea, qua sententiarum conexum evolvimus, parte speramus apparuisse neque Tolkiehnium putamus in eis offensurum fuisse, nisi illam aequabilitatem sibi probavisset, cui versus 505—524 obtrectant.

Vv. 739—754. Etiam tertium insequitur praeceptum non tam aptum, quod Venerem adducat, quam idoneum, quod impediat, ne illa removeatur. Monet enim poeta, ne puellam amator sodali aut cognato aut fratri laudet. Nam cum fides et amicitia inania nomina sint et suam quisque voluptatem consectetur, futurum esse docet, ut, si laus credatur, puella abalienetur.

Vv. 755—770. His praeceptis poeta ea, quae docere voluit, absolvit. Sed appendicis loco etiam duo praecepta addit, quae pro appendice esse ipse significat, cum versu 755 canit: „Finiturus eram; sed . . .“ Itaque praecipit, ut innumera puellarum pectora atque mores amator totidem modis excipiat et tamquam alter Proteus eis se aptet (vv. 755—764) nec non diversis puellarum aetatibus diversis modis occurrat (vv. 765—770).

Vv. 771, 772. Iam poeta ad versus 35—38 respiciens laetus pronuntiat eam partem, qua docere animus fuerit, quibus locis puella repperiretur quibusque artibus reperta exoraretur, confectam esse. Priusquam autem ad alteram aggrediatur, paululum requiescere vult.

Nos quoque laeti finem disserendi faceremus, siquidem nobis videri possumus probavisse illas laudes

propter compositionis artem olim Arti amatoriae tributas iustas fuisse. Neque enim importuna sedulitate abrepti ponere studuimus, quae novitatis oblectamento placerent, sed Vahleno assentientes „summum esse in philologia non divinare sed intelligere“ assidua et multiplici lectione adiuti rem olim recte sensam, nuper prave inversam et stabilire et illustrare pro viribus conati sumus.

Vita.

Natus sum Arthur Klimt in vico Lusatiae superioris Saxonicae, cui nomen est Kiesdorf a. d. Eigen, d. XIV. m. Aug. a. MDCCCLXXIX. Fidei addictus sum evangelicae. Patrem Ernestum, qui agri culturae se dabat, et matrem Iohannam, e gente Ludewig, ambos mortem obisse doleo.

Vere a. MDCCCXCIII gymnasium Zittaviense petivi. Hic puero praeceptor singulari quadam humanitate ornatus viam munivit Gottholdus Ettig et qui eius vestigia intravit Aemilius Koch nec non Aemilius Müller rector, qui et dignitate et humanitate olim puerum, nunc virum et amore et verecundia imbuit. Atque hic ut otio etiam diu cum optima valetudine fruatur omnes, qui eum norunt, exoptant, Aemilius Koch in illa schola humanitatis studiis sacra adhuc praeceptoris munere insigniter fungitur, Gottholdus Ettig praematura morte triginta annos natus acerbissime abreptus est.

Vere a. MCM maturitatis testimonium consecutus Lipsiam me contuli, ut studiis philologis et historicis operam darem. Audivi viros doctissimos Brugmann, Gardthausen, M. Heinze (†), Hirt, Hofmann, Jungmann, Köster, Kötzschke, Lamprecht, Lipsius, Marx, Ratzel (†),

Sievers, Volkelt, Wachsmuth (†), Wundt. Proseminario philologo per tria semestria Immischio moderante interfui, ad societatem antiquariam Graecam Lipsius aditum mihi patefecit, exercitationes archaeologas Schreiberi (†) frequentavi, ad seminaria historica me admiserunt Buchholz, Lamprecht, Wachsmuth (†), ad exercitationes historicas Kärst, in proseminarium Germanicum me recepit von Bahder, in seminarium paedagogicum Jungmann. Quibus praeceptoribus gratiam habeo omnibus, imprimis autem Piae Animae M. Heinzei, cui quid debeam equidem scio.

Postquam examen pro facultate muneris paedagogici suscipiendi superavi, annum tirocinii aestate a. MCMVIII Lipsiae in Reginae Carolae gymnasio ingressus sum, Dresdae in Latomorum instituto inde a vere a. MCMIX absolvi simul vicarii munere fungens, quo munere etiam ultra annum tirocinii functus sum.

Autumno a. MCMX almam matrem Lipsiensem repetivi, ut studia philologa propagarem. Instruxerunt me viri doctissimi Barth, Bethe, R. Heinze, Lipsius. Seminario philologo Bethei, R. Heinzei, Lipsii per singula semestria hospes interfui. Gratiam habeo omnibus, praecipue R. Heinzeo, qui pro humanitate sua studiis meis benignissime favit.
